



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Wirzburgensia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

MONETÆ FUNEBRIS IN OBITU ELECTORIS
CHRISTIANI SAXONIS.

Sincerae in Deum & patriam fidei exemplo posteris re-
lictæ: obiit xxv. Septembris, Anno M. D. xci.

JACTURAM OSTENDET DIES.



WIRZEBURGENSIA.

IN SUMMO TEMPLO.

Conrado á Thungen Episcopo Wirzburg. & Francia
orientalis Duci, præcipuae viro justitiæ, egregiæ eru-
ditionis, temperantiæ singularis, acutissimiq; judicii, quæ
primo statim susceptæ administrationis limite arreptum
vesani hujus sæculi disfidium, seditio, & calumnia severi-
ter diu & contumeliosè habitum, uná cum Ecclesia eius,
extremæ penè subjecissent internecioni, in DEO suffra-
gante, adversus iniquissimæ fortunæ procellas vigili pru-
dentia, infracta dexteritate, tolerantiaq; miranda gravi-
ter superasset, æquiore seculo digniss. Vixit autem annos
plus, minus LXXIII. Præfuit an. XXI. mens. III. d. x.
Obiit XVI. Kal. Julii, Anno sal. M. D. xl. communi suo-
rum mœrore & luctu. Ut umbra corporis comes: sic fa-
scium cura, labor, ærumnæ, atq; mille pericula. Quæ stre-
nuè utentem sequuntur undiq; , sed vincit ille cuncta qui
fidit DEO.

AD TUMULUM MAURITII AB HUTTEN
Episcopi Eystettensis, &c.

*Aspicis humana brevis ut sit linea vita,
Ut dubias verset mors inopina vices.
Fata manent quem vis, humili seu stirpe parentum,
Sive sit á magnis nobilis ortus avis.
Grandia nec prosunt vel pondera divitis auri,
Lectæ vel in rubro gemmea gazæ mari.*

Omne relinquendum est, cum venerit horula mortis,
 Sua ve prius quicquid, vel tibi dulce fuit.
 Talia peccati labes ab origine prima,
 Noxius hac meruit premia lapsus Ada.
 At bene qui vixit, moritur bene, dignus olympo;
 Sanguis & quanquam corpus inane jacet:
 Vis tamen haud anima cum corporis interit umbra,
 Vita sed huic Christus, mors erit ipsa lucrum.
 Vive memor lethi quisquis caelestia curas,
 Sic lethi victor gaudia lata feres.

Vixit an. 49. dies 11. Obiit v 111. Id.
 Decemb. An. 52.

JULIUS EPISCOPUS WIRZEBURG. ET DUX
 Fran. cariss. fratri suo Sebastiano Echtero á Mespel-
 bron, U. J. Doctori posuit.

Ut tibi care meum frater testabor amorem,
 Qui raperis fatum junior ante meum?
 Hoc tua componam, quod nunc licet, ossa sepulchro,
 Perpetuas animo constituamq; preces.
 Morte tua dolui, lacrymas fudere parentes,
 Tu sapiens, doctus, religiosus eras.
 Spes erat auxilio mihi te, sed vana, futurum,
 Imperii dum me sarcina bina premit.
 O utinam pariter possis ut vivere mecum,
 Tempora sint vita dimidiata mea.

Obiit anno Domini 1575. die 7. No-
 vembr. Anno ætatis suæ 30.

AD TUMULUM JOHANNIS SINAPII,
 Medici clariss.

Heu vester ille concidit Sinapius,
 Lugete Musa, quem tulit Suinfordia
 Mater parenti consuli. Vos inclyta
 Duxistis alti sub jugum montis dea,
 Ubi Latinas Atticasq; litteras
 Felix puer cum lacte primo disceret.
 Majora Phæbus huic repente contulit,

*Artem medendi, industrium ut juvenem decet,
 Hac ille carus regibus multis fuit;
 Primum Renatae Francia ad ripam Padi:
 Deinde magno Praesuli Zobellio,
 Aliisq; multis: atq; cum prudentia
 Praestaret, eloquentiaq; viribus,
 Quintus loquentem comprobavit Carolus.
 Nil ergo mirum si modo Sinapius
 Vivit, nec ejus unquam abolebitur decus.
 Mens sancta a caelo continetur, anxie
 Diem resurrectionis expetens,
 Christo jubente quando spiritus suum
 Corpus reducet, atq; vivent mortui.
 Vale viator, & memor Sinapii,
 Cui Bruma vitam, Bruma funus attulit,
 Vivumq; trade mortuumq; te Deo.*

DEO IMMORTALI SACRUM.

Et virtuti ac memoriae clementiss. Principis Melchioris
 ex antiqua Zobelliorum gente, Reverendissimi hujus Ec-
 clesiae Praesulis sexagesimi; qui adolescentia multis ma-
 gnisq; in negotiis acta, cum proximum ab eo, qui primus
 est in amplissimo collegio, dignitatis gradum adeptus es-
 set; unanimi deinde amplissimi Senatus consensu, caput
 Ecclesiae Wirzburg. inclytæq; Ostrofranciae Dux factus,
 magna laude, summo erga suos studio, summa volunta-
 te, egregia fide, singulari pietate, justitia, temperantia, an-
 nis octo Rempubl. administravit. Idem Marchico dein-
 de bello saevissimo, tentatis frustra saepe conditionibus,
 extrema perpeti, quam suos in hostium potestatem ve-
 nire maluit. Ideoque sumptus incredibiles, maxima peri-
 cula, damna, direptiones, incendia, omniaq; hostilia for-
 titer in tertium usque annum sustinendo; tandem pra-
 lio, ac periculo vitae ter hostibus in fugam actis, patriam
 a crudelissima servitute liberavit, pacem, ac tranquillita-
 tem subditis suis, Deo adjuvante, restituit, totiq; Imperio
 factum suum comprobavit. Sed, o fallacem hominum
 spem, fragilemq; fortunam, quadriennio post, pace jam
 com-

composita, Anno D. L V I I I. supra millesimum, x v I I. Cal. Maji, á xv. conjuratis, illius belli reliquiis in prooppido insidiantibus, ex urbe in arcem ascensurus, globo per papillam sinistram nefarié trajectus, uná cum duobus nobilibus aulicis suis præstrenuis juvenibus, W. Carolo á Wenckheine, & Jacobo Fuchs, pro patria, quam conser- varat, mortem in Christo felicem, nobis autem perluctu- osam, Princeps optimus gloriosé oppetiit, cum annos x I I I. menses v I I I. dies v. præfuisset; Reverendissimus Amplissimúsque Princeps Fridericus á Wirsberg, Episco- pus, ac Franciæ Dux, successor, & in ejus morte decoran- da studiosissimus, H. M. P. C.

A L I U D.

*Conditur hac Daniel Stibarus vir magnus in urna,
Quem meritó sequitur gloria, fama, decus.*

D. O. M. S.

D. Danieli Stibaro á Rabeneck, hujus ædis ac aliarum aliquot Canon. & Præpos. Eq. ord. viro, pietate, eruditio- ne, rerum experientia, omniq; adeó virtutum genere, non privatis tantum & suis, sed summi ord. principib. etiam exteris probatiss. nec non literatorum ac bonorum omni- um fautori patronoq; singulari: qui in graviss. Reip. ne- gotiis annis amplius x x. summa fide & integritate ver- satus, ita ut salutari ejus consilio multoties adjutam sese patria perspexerit, pro cujus & salute, bello turbulentiss. temporib. necessarió legationis munere perfunctus, de- ficientibus in itinere viribus, brevi póst tempore, non sine magno multorum, ac opt. cujusq; mœrore, suc- cubuit. Vixit annos plus, minus L I I. Exc- cur. Test. F. CC. Anno 1555.